DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ASCITE ABDOMINALI.

AUCTORE BERNARDO JOHNSON.

QUANDOQUIDEM hujus inclytae Academiae statuta solennia exigunt, unumquemque lauream medicam petentem, disputationem prius esse prolaturum, de re quavis medica compositam, quam ad Doctoratus gradum evehatur, ego summos honores medicinae jam ambiens, mori ordinato succumbo; quamvis oneri et ad aliquid novi in lucem edendum impar, attamen benevolentiâ lectoris candidi fretus, saltem tradita clariora conabor reddere, idque partim propriâ, sed plurimum medicorum doctorum hujus Academiae experientiâ, quorum praelectionibus et

operibus incumbo. Pauca igitur utpote haud a re aliena de Ascite dicere decrevi. Si de omnibus ejus generibus tractarem, opusculum fortasse ultra legem extenderim; disserere igitur tantum de hac specie statui, quae a Culleno celeberrimo apte et eleganter definitur his verbis; "Ascites (abdo-"minalis) cum tumore aequali totius abdo-"minis et cum fluctuatione satis evidente."

MORBI HISTORIA.

Omnia cava corporis humani liquore seroso sunt madefacta per vasa exhalantia appellata, qui aliis, dictis absorbentia, aufertur. Re ita se habente, quantum horum vasorum propria et valida actio ad salutem universalem conservandam confert, haud difficile fuerit perceptu, hujus turbatio ex ullis causis postea tractandis originem praebet morbo isti de quo sequentibus paucis paginis nobis dicendum est, qui nomen a medicis hydropem habet. Incipiente hoc morbo, moles abdominis sensim magis magisque adaugetur;

vultus pallidus et urina parca fiunt; pedes cruraque, morbi aliquando sub initio, saepe in decursu, intumescunt; diarrhoea nonnunquam apparet, sed plerumque alvus adstricta invenitur; cibi desiderium multum imminuitur; et perspiratio súppressa difficilimè promoveri potest. Perstante morbo, tussis sicca, sitis haud toleranda, ructus et inflatio ventriculi, aegrum magnopere vexant. Nunc tumidum et tensum fit abdomen cum respiratione laboriosa ac difficili; lingua albida fit et arida, ab imminuta secretione salivae; nunc horizontaliter decumbens aeger de sensu ponderis circum praecordia et suffocationis conqueritur. Morbi ab initio, urina tam parce redditur, ut assumpta nequaquam adaequet liquida, crassiorque fit et rubra, sedimentum copiosum lateritium deponens. Pulsus modo tardus et debilis, aliquando magis frequens quam naturalis evadit. Ab auctoritate Rush, medici experti, pulsum plenum, durum ac frequentem saepenumero hunc morbum comitare habemus. Ita ingravescente morbo, in omnibus fere Ascitis ex-

emplis, medici manu alterutro abdominis lateri applicata, dum oppositum cum altera leniter pulsat, murmur evidenter sentiri potest, haecque fluctuatio non raró ab aegroto dum in lecto situm mutat, claré percipitur. Aliis aliisque in exemplis morbi variat duratio, sed versus finem aegri vires magnopere deficiunt, et ex somno subiter excitatur insomniis horrificis lassus; nunc forsan liquoris serosi effusio in omnes cavitates corporis fit; jamjam lividitas pallidum vultum occupat, et his, morte aspectu acerbo appropinquante, febris hectica supervenit; illico coma, nonnunquam animi deliquium, vel apoplexia, miserum mortalem excruciamentis liberat, vitae finem imponendo.

DIAGNOSIS.

Precedentem narrationem ab origine si teneamus memoria, de naturâ mali veram diagnosin formare, me judice, non valde difficile fuerit. Presertim instantibus, fluctuationis sensu, vultu pallido, urinae paucitate sedi-

mentum jam dictum deponentis, et siti intolerabili cum aedemate pedum.

Ab tympanite dignoscitur nulla in tympanite persentitur fluctuatio et integumenta distenta sonum ad instar tympani edunt percussa, nec pressurae cedunt. Ex flatu reddito in tympanite multum, in Ascite verò nullum levamen, aeger accipit; quinetiam spirandi difficultas haud in hoc morbo tam situ corporis, quam in Ascite variatur. His denique signis adjici potest, quod abdominis tumor in priore morbo antrorsum magis quam ad latera vergit; nec, habita ratione voluminis, tantum ponderis habet.

Ex graviditate, absentibus mensium suppressione, nausea, mammarum distentione, in abdomine fluctuatione cum siti atque habitu isto, qui leucophlegmaticus vocari solet, perspicuè distinguitur.

An in saccis inclusus, vel in cavo abdomenis diffusus sit latex, magis fortasse difficile

secernere foret, quam ab omnibus malis quibus confundi dicitur; praecipuè si morbus diu perstabit, nulla satis manifesta signa saepenumero habemus, unde alia ab altera specie dignoscatur. In multis tamen casibus aliquid de hac re judicare possumus. Si, nullo statu cachectico corporis comitante, tumor unum pro altero loco teneat, si vires refractae vel cibi desiderium non multum imminuantur, si nec satis nec urinae paucitas cum somno turbato adsint, si foeminis profluere continuentur menstrua; nobis haec restant argumenta cur hydropem in saccis reteneri suspicemur.

CAUSAE.

INTER varia quae hunc morbum inducere dicuntur, praecipua sunt quaecunque corpus ultra modum debilitant, talia sunt aetas senilis, dieta parca et tenuis, vita sedentaria et inerta, evacuationes magnae crebraeque, frigidum coelum ac humidum. Praedictis addi

potest liquoris spirituosi immodicus usus. Hanc causam frequentissimam esse, ex qua morbi hydropici originem ducere hac in regione, clar. GREGORIUS in ejus praelectionibus dicit. Inde viscerum abstructiones et schirrositas oriuntur, praecipuè hepatis, quae recursui sanguinis venosi resistendo vim sanguinis arteriosi in exhalantibus augent, unde fluidi emissi quantitas fit major quam quae absorberi potest. Inter causas etiam enumeranda, sunt evacuationum solitarum aut periodicarum suppressio; frigus corpori calefacto adhibitum; venus nimis culta; affectus animi deprimentes; morbi antecedentes, ut febres intermittentes scarlitina, icterus, aliique multum debilitantes morbi. Oriri quoque potest ab insuetâ et nimis larga evacuatione, presertim sanguinis abstractione. Haud improbabile videtur vasa lymphatica rupta hoc efficisse malum, sed neutiquam tam frequenter incidit quam olim fuit existimatum; item ab interruptis his excretionibus, quarum ope pars sanguinis tenuior e corpore transit, qualia sunt sudor et urina. Quin-

etiam constat, quod renum ruptura, vel urethrae erosio aut vesicae urinariae, Asciten procreaverint. His addantur liquidi praeter modum ingesti, copiam praeternaturalem fluidi serosi in vasis sanguiferis accumulando. Haustus frigidi, corpore calefacto, assumpti ascitis resenceri possint causae, et proculdubio tales fieri efficaces, verisimile videtur, perspirationem cohibendo vel prorsus impediendo. Nonnulli existimant lymphaticorum vel eorum glandularum obstructiones hydropis causam praestare; utrum verò talis obstructio inter hujus morbi causas rite enumerari debet, admodum dubium esse videtur. Rami quoniam lymphatici crebras inter sese anastomoses faciunt, fieri igitur non potest ut unius vel plurium horum induratio, hunc morbum producat, nisi cum aliis conjuncta foret causis. Prostremò, quaecunque sanguinem ejus particulis rubris spoliant, aut quaecunque systema solidorum attenuant, saepenumero hunc morbum excitant.

PROGNOSIS.

Hujusce morbi eventus esse tam incertos dirâ experientiâ quotidie docemur, ut summâ cum circumspectione prognosin suam proferre, medicum oportebit, cum qui jam convalescere videntur subitò morte rapiantur. His sequentibus indiciis, in prognosi formanda nobis dirigendum est. Si symptomata mali haud diu perstiterint, si aegri habitus non admodum morbis praegressis vel intemperantiâ infrangatur, si cibi desiderium non multùm imminuatur, si parum accumuletur aqua, si urina non parce reddatur, si sitis dyspnoea et tussis haud urgeant, denique si junior sit aeger, prognosin haud infaustam formare fortasse licebit. E contrario, si aeger annis provectus sit, si ex intemperantiâ vel morbis praecedentibus oriatur malus, aut per spatium temporis longum perstaret; si sitis inexplebilis dyspnoeque gravis adsint: si ab affectionibus organicis cordis, hepatis vel aliorum viscerum pendet; tunc quidem sa-

nitatem restaurandi haud multùm spei restabit.

METHODUS MEDENDI.

HAEC tria consilia ad curationem efficiendam medico sunt observanda; primùm, causas remotas tollere; secundùm, serum jam collectum evacuare; tertiùm, systemati tonum et vigorem restituere. Quoniam, horum primo perstante, medicamenta ulla nihil auxilii praebere possunt; medicum summa cura uti ad idem investigandum et detectum evitare, vel si fieri potest, omnino removere oportebit. Si (exempli gratia) morbus ab hepatis aliusve visceris obstructione oriri inveniatur, quod non raró accidit, ut eadem amoveatur summa et prima dirigenda est cura. In tali casu, varia apud varios auctores laudantur remedia, qualia sunt, hydrargyrus, supertartris potassae, conium maculatum, &c. Inter haec primum tenet locum hydrargyrus, quamvis spem medici non raró frustrat; ta-

men, si diù perstabit, morbus et schirrus adesse videtur, sine mora adhibendus est. Si ab intemperantia, vita sedentaria, victu pravo vel talibus, originem duxerit morbus, aegrotanti summa ope nitendum est ut eas in posterum effugiat.

2do, Serum jam collectum evacuare. Ad hoc consilium efficiendum multa et varia in usu sunt remedia, de quorum praecipuis tantum mihi liceat dicere.

Emetica. Quoniam exempla non desunt morbos hydropicos vomitu spontaneo sanari, hinc medici vomitionem arte citatam tentare inducti sunt. "Per vomitum inquit clar. "SYDENHAMUS, solvuntur cuncta tenacia, "concutiuntur obstructa, expellantur stag-"nantia, unde in hoc morbo mirabiliter pro-"sunt." Haec equidem abdominis viscera stimulando, et vim vasorum absorbentium excitando, haud parùm prosunt in Ascite, tamen non periculo vacua esse videntur, ideoque cautè admodum administranda sunt

Cum vires corporis non multùm imminuuntur, vel dyspnoea aut comatis symptomata non adsint, tantum adhiberi debent. Horum inter lauditissima atque potentiora tartris antimonii sulphas cupri et zinci memorandi sunt.

Cathartica. Haec in duas classes dividi possunt, drastica scilicet et mitia. Illis multò saepius in hoc morbo, quam his pristini usi sunt medici. Multùm a SYDENHAMO commendantur qui usum catharticorum mitiorum reprobat, et nocere potius quam prodesse dicit. Drastica, tamen, quanquam a pristinis multùm laudata fuere, ab hodiernis medicis rarius praescribuntur, quoniam corpus ultra modum debilitando morbum augere inveniuntur, quinetiam ex longâ experientiâ nunc satis constat cathartica mitiora optimos edere effectus. In initio fortasse morbi, cum vires pene intactae sint, cum fructu administrari possunt. Sed cathartica mitiora prius tentari debent, et si haec non

valeant, drasticorum ad usum decurrere liceat.

Diuretica. In morbis hydropicis curandis diuretica a medicis multùm usurpantur, et meritò laudantur, nam effectus sane optimos praestant, et prae aliis remediis hoc gaudent commodo, quod vires non debilitant. Sub hoc capite scilla maritima, supertartris potassae, digitalis purpurea, et diluentia, maximè laudata sunt.

Scilla Maritima. Hoc remedium omnibus aliis a nonnullis anteponitur. Sub variis modis adhiberi potest, sed si in substantia administretur, vomitionis excitandae minus periculum fuerit. Cum hydrargyro conjunctim summo cum beneficio porrigi possit, parvis dosibus paulatim auctis, talibus radicis exciccatae grano uno, bis vel ter indies, aegro incipiendum est. Si cum hydrargyro consocietur, mane danda est scilla, et vesperi fricentur crura vel parietes abdominis cum unguenti hydrargyri drachma una; vel sub mu-

rias hydrargyri in dosibus granorum duorum triumve, opii parva quantitate mistus, ne catharsin citaret, adhibeatur.

Supertartris Potassae. Hoc meritò inter remedia prima recensetur, namque alvum simul ac urinam movet. Ex magna aquae copia solvendum et modicis dosibus sumendum est, quoniam ejus boni effectus magna ex parte fluidi cum eo assumpti quantitate pendere videntur. Si urinam citò non moveat omitti, et cum altero diuretico alternari debet; namque hanc regulam observando multum commodum esse expectandum, docemur.

Digitalis Purpurea. De hujusce herbae potestate in hydrope sanando, multis ab scriptorbus certiores facti sumus; proculdubiò remedium haud inertum multis in exemplis suppeditat, sed maximâ inter ejus administrationem curâ utendum est; enim longo non tempore pessimos effectus nimium ejus usum sequi solent. Parvis igitur dosibus incipiendum eset, quae gradatim augeri possint.

Diluentia. In hoc morbo diluentium liberum usum antiqui vetuerunt, haec enim malum ingravescere existimata fuere. Hodierni tamen medici, inter quos clar. CULLENUS et MILLMANUS numerandi sunt, horum utilitatem satis stabilitam reddiderunt.

Sudorifica. Cum a perspiratione obstructa hydrops non rarò oriri, invenitur medicamenta diaphoretica ad eam removendam administrari, mirum non videbitur. Cum antiquis aeque ac hodiernis multùm laudata haecce fuere remedia. Ea valde commendat CELSUS. Pulvis ipecacuanhae compositus optimam medicinam sudorificam praebet, et cum non multùm debilitatis in habitu invalescat, praecipueque sub initio morbi, cum commodo adhiberi potest.

PARACENTESIS.

IN quo Ascitis exemplo ad hanc operationem decurrere debemus statuere difficile est.

Remedium non valde periculosum esse, et nonnunquam cum successu adhibitum fuisse, satis constat. Igitur in morbi provecto stadio, aliis remediis antea incassum tentatis, perfici opportet.

CONSILIUM TERTIUM

Corpori vigorem restituere. Postquam remediis supra dictis aqua hydropica expulsa fuerit, ne rediret cavendum est. Quae ad hanc indicationem maximè accommodata videntur dieta nutriens, exercitatio, frictio, medicamenta tonica, et aer purus ac siccus, optima praebent exempla.

Dieta nutriens. Cibus nutriens et concoctu facilis esse debet, qualis caro macra panisque bene fermentatus. Pro potu optima vinum rubrum modicè dilutum, vel cerevisia fortis, Anglicè *porter* dicta, sunt.

Exercitatio. Ambulatio, equitatio, gestatio vehiculo, vel navigatio, haec, vitales

functiones corroborant, et perspirationem promovent. Tamen ne se nimium defatigaret aeger cavendum est.

Frictio. Haec ope strigilis vel panni lannei cum fructu perfici potest.

Medicamenta tonica. Inter haec praecipuae sunt, cinchona, chalybeata, amara et aromatica, quae vires totius systematis sed praecipuè ventriculi, resuscitando magnopere prosunt.

Aër purus ac siccus. Cum morbi hydropici tam frequenter ab aëre impuro et humido originem ducere videntur, multa de utilitate hujusce remedii in iis levandis dicere, superfluum foret. Solùm mihi restat notare, si aegrotus atmosphera humida degatur, quamprimum in puriorem removeri opportet.

FINIS.